



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 143. Bellum a conjuratis suscitatum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A.C. 1465.

§. CXLIII.

Bellum a Conjuratis suscitatum.

*Sabellic. 10.
Enn. 6.*

Eo tempore foederati adversus Henricum, qui tum Madriti agebat, nihil inoliri audebant; præfatæ enim urbis incolæ Regem suum pro viribusuebantur. Cum ergo illi prodita semel eorum conjuratione, actum esse de sua salute, optime nossent, mature in armorum vi consilium esse quærendum judicabant. Ergo ad arma convolant, ac per omnia compita rumorem, & edicta spargunt, quibus Henricum corona exutum, nec alium præter Alphonsum esse Regem proclamant. Vicissim Henricus exercitum suum in aciem ducit, & comitantibus illis, qui in fide Regis perstiterant, obviam procedit fratri suo, illumque prope Ovetum offendit. Jamjam manus conferunt, tamque pertinaci, diuturnoque conflictu dimicant, ut ambo exercitus cum æquali utrinque dispendio, parique victoriæ emolumento ex acie recederent. Alphonsus tamen, necnon Placentiæ Comes, Archiepiscopus Hispalensis, & Villenæ Marchio, omnes præcipui rebellium Duces, sua vexilla Henrico Victori in spolium cedere compellebantur; vicissim vero foederati Regium eripiebant vexillum, hostiumque qua-

quadringentos capiebant, ac finito proelio Segoviam suo subjiciebant imperio. Sæcul. XV.
A. C. 1465.

§. CXLIV.

*Liga boni publici Principum
in Francia.*

Hoc anno in Galliis conjuratio, quam *ligam boni publici* vocabant, in apertum prorupit incendium, non sine ingenti Ludovici Regis admiratione; quamvis enim per quatuor omnino annos clandestina adversus eum agerentur consilia, Regnique Proceres conspirationem maturare toto studio satagerent, nihilominus Rex, elusa omni exploratorum solertia, nullo prorsus indicio rem detegere poterat, nec quicquam prius suspicabatur, quam spes remedii relicta esset nulla. Tunc demum Galliarum Rex, cum Britanniae Ducem opprimere unice intentus esset, ineunte Mense Februario copias suas ad Pictaviensem Provinciam præmittebat, mox vero ipse sequebatur, comitantibus eum Bituricum Duce fratre suo, Renato Andegavensi, & Cenomanensi Comite. Verum vix apud Pictones advenerat, cum illico Britanniae Ducis Legati Tannegius Castellius, & Romilleus Cefneliae Toparcha Regem adeunt, atque ab eo perbenigne excepti, cum summa animi demissione spon-